

*G*ARSIAS MENESIVS EBOREN-
sis præful, quum Lusitaniæ regis inclyti legatus, &
regiæ classis aduersus Turcas Hydrunté in Apulia præ-
sidio tenentes, præfectus ad Urbem accederet, In tēplo
dii Pauli publicè exceptus, apud Xistū. iij. Ponti Max.
& apud sacrum Cardinalium senatum, huiuscemodi
orationem habuit.

col. 3



CONIMBRICÆ.

Apud Ioánem Aluarum Typographum Regiū.

M.D.LXI.

GASPAR VARRERIVS GEORGIO

Coelio.S.P.D.



Vum Romęagerem, inter aliquos qui
bus cum mihi amicitiaē consuetudo in-
tercesserat, duo fuere clarissimi viri Ia-
cobus Sadoletus, & Petrus Bēbus Car-
dinales. Quorū ego dulcissimam & vti-
lissimam familiaritatem, cum ob plurima & varia vir-
tutum ornamenta, tum verò ob multiplex disciplinarū
optimarumq; genus artium, & summam politiorum
literarum facultatem, quibus magnoperè pręstarent,
sanctè colendam existimaeram. Inquam vt me infi-
nuarem, idoneam & percommodam occasionem mihi
obtulit gratulatio, quam nomine illustrissimi principis
nostri Henrici Portugallie Iffantis, cum primum in sa-
crum purpuratorum patrum collegium fuit coopta-
tus, amplissimis verbis habui, apud Paulū. iij. Pōt. Max.
& cunctos. S.R.E. Cardinales. Verum Bembi neces-
situdine familiari, qua nihil mihi vel optatius, vel op-
portunius, vel honorificentius poterat accidere, octo mē-
ses fruilicuit non amplius. Nam mors importuna ho-
minem amplissimum, & multis nominibus commen-
datum, nec à me alienum sustulit, quippè quem nō obs-
curis significationibus, erga me optimè animatum in-
tellexeram. Cum altero qui superstes remanserat, vixi

con-

coniunctissimè dum Romæ fui, nullo officiorum præ-
termisso genere, quo non fuerim ab illo & mirificè or-
natus & maximè affectus. Igitur cum sæpè & mul-
tum cum eò essem, accidit, vt dum in sua bibliote-
ca vbi tunc eram, scrutaretur varios chartarū fascis:
& quandam quæreret orationem ad te mittendam,
vt postmodum misit, (in qua pacem, Carolo. v. Ro-
manorum imperatori & Francisco Gallorum regi, to-
tiq; Christianæ Reipublicæ gratulabatur, quam olim
ij duo reges ad Niceam urbem, nouis inter se iniis fœ-
deribus firmarant) incidere in aliam orationem: quam
lxxx. circiter ab hinc annos, habuerat Gasias Menesi-
us præsul Eborensis apud Xistum. iiii. Pont. Max. eo-
dem anno Romæ excusam opere chalcographico. Tū
ille, heus tu inquit Gaspar, num hanc contigit aliquādò
videre venustam sanè orationem, cuiusdam vestri Lu-
sitani hominis: certè grauis & disertus & eruditus? Quā
cum daret in manum, narro tibi planè gestiui largi-
ter & effusè doctissime Coeli, cum sese mihi offer-
ret vltro, quod iandiu multa ope expetiueram. Nam
videre interdum licuit, ex Latino in Lusitanum ser-
monem malè conuersam, vt tum coniectura consequi
poteram. Verum quid referret si benè? regē nāq; videre
volebā non mortuos, vt de Alexandro apud Ægyptum
rege, olim Cæsar Octavius. Quæ est enim alicuius gētis
lingua (Græcā vix excipio) quæ cū Latina iure conferri
possit?

possit? Sed quoniam nonnullę in ea elucebant oratorię
virtutes, & quędam optimi ingenij, & iudicij simula-
chra conspiciebantur, propterea Latinę legendę studio
iandiu flagraueram. Itaque cum omnem desiderij mei
rationem, viro amplissimo patefacerem, eandem mihi
& perlibenter dono dedit. Cumque hominis fortunam,
& vitę eius conditionę à me quęreret, veterę illi atq; il-
lustrem Menesiorũ familiã, ex qua ipse multiq; alij viri
clarissimi, qui in bellicis laudibus excellere, orti fuerant
totam explicavi. Quantusq; idę Garfias fuerit & in ea-
dem militari disciplina, & literarum facultate, dictaq; et
facta nõnulla eiusdem commemoravi, Quę prædictus
Cardinalis cupido & gaudenti animo accepit, & quorũ
cognitionem magni duxisse testatus est. Dolebat tamen
tanti viri fatum, quod maximis animis & splendidissi-
mis ingenijs esse commune dicebat, in quibus sæpenu-
merò reperirentur ingentes honoris, imperij, & glorię
cupiditates, quę plures viros multis rebus præcellētes per-
dere solitę essent. Ergo laudabat orationę, hocq; admi-
rabatur maximę, in ea ætate, in qua vix vnum vel alte-
rum in Italia fuisse diceret, qui integram Latini sermo-
nis puritatem, plenumque eius nitorem attingeret, eò
quod obrutus & penę extinctus, summa hominum bar-
barie & incuria existiret: reperiri aliquem in his extre-
mis orbis partibus, qui tantã dicēdi vim, tantũ orationis
ornatum, tantum verborum delectum, atq; elegantiam

ad se-

ad sequeretur. Quapropter Lusitanorum ingenia sum-
mè commendare cœpit. In quibustu primum Coelido
etissime occurristi, dixit enim legisse se, nonnulla inge-
nij tui monumenta, quæ literis mandaueras in vtraque
& oratoria & poetica facultate, præclara illa quidem &
quæ acumen ingenij, summū iudicium, optimam ver-
borum electionem, grauem & splendidam dictionis for-
mam, deniq; eruditionis & doctrinæ cæterarumq; rerū
præstantiam præ se ferrent. Sed venio ad episcopi nostri
orationem, quam ipse eo consilio in Hispaniam attuli,
vt quæ suppressa tandiu in tenebris latuerat, mea opera
& diligentia, & sub tuo nomine in lucem aliquādo pro-
diret, in communē studiosorum vtilitatem, & vt intelli-
gerent nostri homines, si ad eximiam & illustrem natu-
ram, qua egregiè præditi sunt, adiungere maiores indu-
striæ conatus & labores etiam vellent, facile eos summā
laudem summūq; gradum, in quouis literarum genere
consecuturos, quandò illa tempestate rudi omnino La-
tini sermonis, inuentus sit qui, in Latina eloquentia: tā-
tos tanque laudabiles progressus fecerit. Quibus tem-
poribus apud nostrates, vt liquido inter omnes constat,
non modò quisquam non esset, qui vel mediocriter La-
tinas calleret literas, verum si nobilium aliquis fortè di-
sceret, eum, alij non secus insigni macula notandum cœ-
ferent, ac si istotam familiæ suæ nobilitatem: omnem-
que militarem laudem dedecorasset. Cumq; alicui pro-
bro

bro datum esset aliquando hoc ipsum scilicet quod Latine sciret, respondisse sapienter ferūt, literas telorum acie non retundere, adeò literarum nomen illa ætate execrabile & odiosum erat. Qua certè opinione, tam penitus insita, & tam confirmata in hominum illius miseri seculi mētibus, nihil vel absurdius, vel ineptius, vel magis stultum esse potuisset. Quapropter meritò & iurè laudatus est Garfias noster à Sadoletodoctissimo Cardinale. Nā quæ species, quæ dignitas, qui orationis splendor & ornatus? quàm concinna verborum collocatio & quàm priorum conformatio? Quàm vberes & acutæ sententiæ? Quantus vsus & quanta rei militaris disciplina? Quàm perfecta maritimarum & terrestrium regionū scientia, & quàm completa historiarum cæterarumque rerum cognitio apparet? In qua tu oratione Coeli deprehendes neruos, succum & sanguinem, non ieiunam & exilem vel ineptam quandam eloquentiam, multa inanium verborum congerie fidentem, tanquam innumeris & garrulis perstreptem vocibus non rebus, vti nonnullis vsu venire videmus, qui cum ingenij & inuentionis inopia prematur, miseram chartarum aream, plurimis verborum velut palearum & culmorum manipulis, non autem læta fruinenti vbertate inferciunt. Quantus insurgit aduersus Christianorum regum illius ætatis imbellem socordiam & negligentiam? Quantum inuehitur in deprauatos & corruptos antistitum

mores?

mores: Quo animo bone Deus erigit & inflammat ipsum Pontificem, & sacrum Cardinalium senatum, ad bellum contra Turcas suscipiendum? Quo ardore mentis, etiam reges & cæteros Christianos principes, ad id quoque bellum eisdem barbaris inferendum sollicitat? Iam ipsa actio qualis & quanta fuerit, satis declarant pauca illa, sed plena ingenti admiratione verba, Pomponij Læti, cum præsens Garfiæ non modo loquentem linguam audiret, sed vultus etiam illos admirabiles, atque fulgurantes oculos loquentes, totam denique vehementem illam hominis, & plenam spiritus actionem intueretur, Pater sancte, inquit, quis est iste barbarus qui tam disertè loquitur? Audiui ego sæpe ab Eduardo Menseio Eborensi, fortissimo atque ornatissimo viro, longa iam senectute confecto, & ipsius Garfiæ nepote: qui puer admodum præsens interfuit cum declamaret auunculus, Garfiam latè tunc nominis sui fama, non modò urbem Romanam, sed totam penè Italiam compleuisse. Quòd vero nonnulli, tria verba Zelum καλολιμὸν & substantiam, tanquam nec propria nec vsitata velut è scena exhibilant & explodunt, Prima illa duo Græca sunt, nec propterea reprehédenda arbitror, nã Latini Græcis vocabulis vti plerūq; cōsuevere, quibus maximè utebātur disertis & sapiētes viri, altero videlicet cū exprimere vellēt, vim pię cuiusdā animi affectionis, erga cultū & fidē religiōis Chriane, vti Garfias n̄ fecit, vnde Zelotypia, quo
etiam

etiam vocabulo ipse usus est Cicero. Altero, cum unică & veram in toto terrarum orbe, religionem significarét. Tertium verò tametsi apud eundem Ciceronem, & illius seculi authores minimè reperiatur, est tamen à Plinio & à Fabio etiam in eo sensu usurpatum, quo Eborensis præsul illud usurpauit. Sed fac verbum ipsum substantiã, vel negligenter vel imperitè, vt quidam volunt, fuisse positum, nonne in ipsa vrbe Roma, vbi & nata & alta Latina eloquentia est, disertissimi viri in hoc genere sæpius peccauerunt? Nam. T. Pomponius Atticus, Ciceronem omnis eloquentiæ parentem, reprehendit quòd præpositionem in, oppido adiunxit, Et Cicero ipsi Attico cui ex eloquentia nomen fuit, per epistolam significat vehementer sibi displicere illud inhibere, quod Atticus probauerat, quoniam ex quadam nautarum significatione, deprehendit ipsum verbum totum esse nauticum, & vehementiorem motum remigationis, nauem cõuertentis ad puppim significare. Atque in alia ad eundem epistola, seipsum incusat quòd Piræea non Piræeum dixerit. Idemque totam hanc clausulam Antonij damnauit. Nulla contumelia est, quam facit dignus, tum facere cõtumeliam, tum nomen dignus illo sensu positum, Tironem quoque libertum suum reprehendit, quod dixerit valetudini fideliter inferuendo, propterea quòd aduerbium illud fideliter, alienū locum occupauerat. Nonne, ij homines Romanierant, & tamen in eiusdem ser-

monis

monis vsu, quem cum ipso nutricis lacte suxerant lapsi sunt? Quid ergo mirū futurum fuisset, hominis Lusitani in aliena lingua erratum? quā ea tempestate & ea orbis terrarum parte didicerat, quibus eiusdem linguæ nitor (vt modo significauī) & incultus & extinctus omnino esset? Verum hæc puerilia sunt, quoniam totum opus considerandum est, veluti si quis præclaram urbē, a inœno quodam situ atq; salubri positam, & loci natura satis munitam videat, tum muris etiam & arce atq; templis, theatris, thermis, arcibus, circis, obeliscis, pulchris atq; magnificis & longis columnarum ordinibus distinctā, cæteraq; ædificiorum descriptione, & aliorum id genus ornamentorum apparatu, præfulgentem conspiciat, & tantam pulcherrimæ urbis amplitudinem, & maiestatem vituperet, eò quòd in ea per pauca quædam priuata domus sint, quæ præ humili & modica structura, aliarum speciem & celsitudinē non exæquent, nonne is vel cōmuni iudicio carere censebitur? Ita profecto eueniet ijs, qui propter duo verba, quæ ad aliorum elegantiam & venustatem non accedunt, eloquētiam præstantis cuiusdā oratoris dānandam arbitrentur. Hæc circò visum fuit admonere, non propter illos qui iudicare de præstantibus ingenijs aliquid valēt, sed propter vituperatores quosdam, qui putant ingentem se laudem tunc consecutos fuisse, cum inter ineruditos de aliorum scriptis iudicium faciunt, & velut censoria nota temere condemnāt. Cæ-

terum quòd operam dedimus, vt elucubratiò amplissi-
mi & doctissimi viri, non delitesceret tandiu, & sub tuo
nomine in lucem exiret, opinor & doctis & bonis omni-
bus gratum, & operæpretium fecisse. Vale, .iiij. Kalend.
Maij. M. D. LIII. Eboræ.

GARSIAS MENESIUS EBORENSIS PRÆ-
sul, quum Lusitaniæ regis inclitilegatus, & regiæ classis
aduersus Turcas, Hydruntē in Apulia præsidio tenētes,
præfectus ad Urbē accederet, in templo diui Pauli publi-
cè exceptus, apud Xistū .iiij. Pont. Max. & apud sa-
crum Cardinalium senatum, huiuscemodi
orationem habuit.



Iita ab immortalī Deo constitu-
tū erat P. Beatissime, vt ego ta-
met si inter eius ministros ascrip-
tus, effugere tamē maiorū meo-
rū fata, & peculiare quoddā atq;
hæreditariū familiæ nostræ bel-
lū, non potuerim: gaudeo mirū
in modum, me in id tempus, in eamq;
ætatem incidisse, in qua labores &
pericula mea, Beatitudinī tuæ &
huic sanctæ Apostolicæ Sedi, alicui
esse vsui possint. Ita vt si
aliās maiorū obedientia & patriæ
ac parentum charitas, honesta &
necessaria inuito mihi arma induerit,
nūc Beatitudinī tuæ iussus, & Christianæ
fidei zelus, piētissima

& vo-

& volūtaria induat. Eòq; alacrius clarissimo regi, & inclyto principi meo iubentibus, & sarcinam huius expeditionis, meis humeris imponentibus, operam & industriam meam detuli. Non profectò quòd, aut valetudo tunc mea, aut substantia vtraq; exhausta Hispaniensi bello, animos mihi ad tantam rem capeffendã, atq; exequendam facere potuerint. Sed quia obsequendi Beatitudinix desiderium, & cupido exponendæ vitæ, pro salute & decore huius sanctæ Sedis, plus apud me, ad subeundũ hoc onus: quã difficultas aut necessitas vlla, ad declinandũ valuit. Et vt liquidius Beatitudo tua intelligat: non mentẽ modo meam, quã rebus deinceps nõ verbis contestari vellẽ, sed animũ ipsum (quod maius est) regis illustrissimi & singulari virtute præditi, simul & fortissimi principis eius nati, erga Christi Iesu sanctissimã fidem, erga hanc Sedẽ, erga Beatitudinem tuã, repetã quã breuissimẽ potero rem omnem, quo gesta est ordine.

¶ Alphonfus igitur rex Lusitanorum, qui reliquos huius ætatis principes, (pace quod omniũ dixerim) semper incredibili quodã ardore ampliandæ catholicæ fidei, & singulari erga immortalẽ Deum pietate, superauit, quũ primũ Rhodũ obsessam, ab immanissimis barbaris audisset, quia causa cõmunis vniuersis regib9, & Rebus publicis Christianis videbatur, illicò volutare animo cœpit, quo pacto ipse, cum expedita classe, ferre opẽ obsessis posset. Nec eam rẽ secretam habuit, sed cõfestim accito prin-

*NAR.
RA-
TIO.*

M ij cipe

cipe filio dulcissimo: omniū consiliorū eius & periculorū
socio, & iussis ad se venire ex fidelissimis proceribus,
qui paucorū dierū itinere aberant, consiliū capit: nō uti-
q; si quod faceret ex usu foret, sed quo pacto ex vltimis or-
bisoris, rem tantā efficeret. Decernit itaq; facturū se om-
ninò: si per conditionē temporū liceat, & dū huc ad Bea-
titudinē tuam nuntiū, rem omnē exploratum in celeri
lembo transmittit, ipse classem, cōmeatū, arma & viros
interim parat. Quod ita esse quanquā omnibus liqueat,
nemo tamen est qui me norit melius, quia vt cōsiliū illius
particeps fueram, ita & ex præcipuis comitibus ac socijs:
tam longinquæ militiæ vnus futurus eram, sed tēporis
& belli immutata species, consilium quoq; regis pientis-
simi immutauit. Nam sub id tempus quo nuntius ipse
Romam appulit, iam belluæ illæ immanes, soluta Rho-
dia obsidione, Hydruntem in Apulia expugnatū, præsi-
diotutabantur. Ad quē obsidendum & recuperandum,
quū Beatitudo tua animū, vt decuit intendisset, per eun-
dem illum nuntium: qui exploraturus Rhodiorum obfi-
dionē huc venerat, & per literas hortatus regem ipsum
es, vt in huius belli auxilium, viginti naues (quas Cara-
uellas vulgus vocat) viris & armis extructas: huc ad te
transmitteret. Quo nuntio accepto, quanquā pleræque
ex maritimis Lusitaniæ vrbibus, & Vlissipo in primis
pestilentia laboraret, quò res difficilior erat, eò animo di-
ligentiaq; maiori, rex optimus classem instruxit, vt ni-
hil

hil factu cogitatuue dignum, in ea comparanda præter-
miserit. Accessit & industria eximij principis, & vterq;
non mercenariorum militum: sed virorum, genere, edu-
catione, & virtute insigniū, classem ipsam referit. Quo-
rum egregia opera, & ipsi terra mariq; plerunque sunt
vsi, & Beatitudinē tuā vbi opus fuerit vsurā spero. Habes
igitur munus Pater beatissimē quod petisti, si non mag-
nitudine, saltem & delectu, & terrarum longinquitate,
& regio animo pretiosum.

¶ Sed mihi multa voluenti, & multa sæpius de commu-
ni totius Christianæ Reipublicæ statu, cogitāti & solici-
to: non ab re visum est, pauca in præsentia, de Turcarum
gravi & calamitoso bello dicere. Quod eò audacius dif-
feram, quò paratior ad quoduis subeundum in eo pericu-
lum accedo. Nā frequenti vsurpatum prouerbio, à ma-
ioribus nostris audiui, neminē de prælio cui non sit affu-
turus, sentētiam dicere debere. Neq; id iniuria, qui enim
secus faciat, eum, tāquām Phormionem de bello in otio
disputantem, ab Annibale irrideri par est.

¶ Quod igitur ad bellum hoc attinet, scio plerosq; ante
me, hoc in loco, optimē & cōpositē casum Cōstātinopo-
litani imperij, totq; & tantorū non dicā oppidorū & vr-
bium, sed regnorū & prouinciarum excidiū & euersio-
nē: sæpius deplorasse, & ante omniū oculos diserte & li-
quidē funestissimi huius belli dāna & opprobria Christi-
anæ fidei posuisse. Prædicasse sacrosanctas Christi Iesu,

PRO-
POSI-
TIO.

CON-
FIR-
MA-
TIO.

diuorumq; omnium aras & augustissima templa, miserabili Christianorum nece polluta, & in vilissima iumentorum stabula redacta. Sanctissimos antistites & sacerdotes, omni tormentorum genere, quæ excogitare crudelissimorum barbarorum furor potuit laceratos. Tot matres familias, tot viduas, tot virgines, in faciabili spurcissimorum hominū libidini prostitutas, Tot pueros ingenuos ad abnegationem veræ religionis cōpulsos, Tot infantulos in complexu miserarum matrum, sceleratissimis pugionibus transfixos. Omnia denique turpia, nefaria, horrenda, quæ meminisse animus teterrimarum belluarum potest, in dedecus catholice fidei, in ignominiam Christiani nominis, in detrimentum sanctissimæ Dei veri Ecclesiæ, à tyranno superbissimo & immanissimo, & ab eius militibus perpetrata. Omnia hæc tam abundè & tam eloquenter, scio a plerisque deplorata, vt ego me hoc onere leuatum arbitrer, simul & quia existimo eos, qui tam imminenti in fortunas & in ceruices suas periculo, non mouebuntur, frustra commemoratione alienarum miseriarum excitari. Quinimò longè iam vereor, ne multorum animos, recordatio tot tantarumque cladum, potius ab spe victoriæ auertat, quàm misericordia aut indignatio accendat. Ob eamque rem operæ esse pretium puto, potius recensere quonam modo feræ hæc immanes vinci, & ab hominum memoria deleri possint, quàm ea commemorare, quæ ipse furore

rore stimulante, tum socordia & imbecillitate nostro-
rum ducum, tum inertia & desidia populorum, con-
tra Christianam plebem gesserint. Quæ iam eò per-
uenisse video, vt fortissimi populi, exemplo vilissima-
rum gentium timore perculsi, absque vlla ratione hæ-
sitent & paueant. Quasi Turcis in Thracia, in Achaia,
in Peloponneso, in Epiro, in Illyrico, sua virtus & non
illorum paucitas & ignauia, victoriam dederit, aut ali-
ud penitus inter vtrosque, quàm numerus interfuerit?
Nam ornatus, arma, equi, iaculandi & equitandi ge-
nus, omnia vtrisque paria fuere, & in pari imbecillita-
te, cui erat dubium quin multitudo superaret? In qua
re argui magis illorum temporum Pontifices, Cæsa-
res, regesque, & Respublicas Christianas licet, qui peri-
turis non opitulati sunt, quàm illorum infirmitatem
accusari, qui numero impares & parum inter sese con-
cordes, ab hoste vno magno & potenti subacti extermi-
nati que fuere. Sed fuerit hoc fatale totius Græciæ exci-
dium, & id æterna maiestas occulto prouidentia suæ
consilio, non sine mysterio magno permiserit, patiemur
ne etiam has truculentas bestias, in Romanum nomen
& in Italiam caput terrarum orbis transcendere? Quan-
quã ego, ita me Deus amet non molestè fero eos, in Apu-
liam peruenisse, quin potius nulla ratione maiorem
de eorum euersione spem concipio, quàm quòd eo

vesaniæ peruenerint, ut Latino nomini manus inferre
ausi sint. Nã sic Italica & Christiana omnia simul ar-
ma moueri, iurè sperandum est, quum incendium tam
periculosi belli, in foribus penè atque in ipso vestibulo
omnium iam versetur. Quibus motis ut spero, facile erit
videre Turcas Christianorum negligentia, ex paucis per
multos, ex ignauis industrios, ex socordibus fortes, supe-
rioribus temporibus factos esse. Dum illis nemo penè oc-
currit, qui aut robore, aut armorum usu, aut disciplina
rei militaris ualuerit. Et si quis fuit, is ab alijs destitutus,
ferre eorum multitudinem non potuit. Vereor tamen,
ne quis me putet Turcarum res eleuando, hoc bellũ mi-
noris facere quàm aut ipsum ex se sit, aut usus postulet.
Non ita est, quin illud omnium, quæ vnquàm contra
Christi Iesu fidem, contra Romanam Ecclesiam orta
sunt, teterrimum, periculosissimum & calamitosissi-
mum puto. Sed simul existimo ad conficiendum facil-
limum, modo Beatitudo tua cum præstantissimis qui
adsunt antistitibus, & vniuerso clero: animũ ad illud cõ-
tinuè applicet, & omnes alias superuacaneas curas, præ-
ter hanc vnã abijciat, uti in præsentia facit. Quod eò
magis te, beatissime pater anniti decet, quia dissimulan-
dum non est, quod obscurari non potest, cunctis sanè
gentibus & nationibus, pro innata illis cum ordine no-
stro simultate, in animum inductum, & persuasum esse,
omnes has calamitates Christiano populo, sacerdotum

in primis

in primis errore contingere. In me ipsum sæpius id expertus loquor, facile suorum quique malefactorum culpam, in nos transferunt, & leuiorem esse putant dum vitam moresq; calumniantur nostros. Ob eamq; rem impensius inuigilandum est, ne populus, vllam in nobis calūniæ materiam superesse, præsentiscat. Si otio, fidelitij, si desidiæ locus vnquam apud nos fuit, agendo, temperando, laborando in presentia studeamus, vti, orbis terrarum nostro exemplo permotus, nullū damnum, nullū discrimen, nullum periculū, in capeſſendo & prosequendo hoc bello extimescat. Nihil enim efficacius operibus ipsis ad persuadendum est, & nihil quod æquè genus humanum, ac virtus & religio moueat. Si igitur cupimus Imperatores, Reges, & Respublicas, in hac fidei causa thesauros suos elargiri, nos in primis nostram & Ecclesiæ substantiam erogemus, si eos insudare cupimus, nos in primis insudemus, si pericula adire, & nos etiam vel iuuando, vel hortando, vel consulendo periclitemur, Et inter hæc omnia, diuinarum rerum sanctissimæ ceremoniæ, & fidei cultus non tepescat. Quibus rebus facilè erit principes & populos, non ad defensionem modò, sed ad propagationem Christianæ religionis, permouere. Exemplo tibi Urbanus secundus erit, qui quadringentis circiter ante te annis, huic nauiculæ præfuit, & Petri sedem, in qua tu non sine diuino numine positus est tenuit. Is enim concilio principum apud Clarum mō-

tem in Gallia habito, trecenta hominum millia, ad recuperandam Asiam, tandiu antea à veri Dei cultu ad Machometricam sectam traductam, & ab infidelibus occupatam armauit. Et eò ventum est, vt post multas & maximas de Turcis ipsis, & de reliquis superstitionis gentibus victorias, tot vrbibus, tot regnis, tot prouincijs, & tandem vrbe Hierosolyma, morte & sepulchro redemptoris celeberrima, potiti sint. Non defuere tunc proceres, duces, & omnifariam viri, qui fidei causam susciperent, qui pecuniam, qui exercitus, qui vitam ipsam seruatori nostro deuouerent. Quum tamen neq; potentiores tunc, neque meliores aut reges, aut principes, aut populi forent, neq; minore suspitione & metu, regna atque imperia sua tutarentur, quippe quòd nec discordia, nec bellum id temporis deerat, imò nec & plerisque & Pontifici ipsi in primis, multis patrimonium Petri occupantibus, abundè supererat. Omnia tamen vicit vnus Pontificis industria & animus. Quòd si ille quieta regna & nationes, nullo laceffit bello, mouere tam facile ad arma capienda, pro dignitate & amplitudine fidei potuit, quid te facturum Pater beatissime speras, cum tot habeas iam reges & populos, non bello tantum, sed damnis et ignominijs à Turcis prouocatos? Quos haud difficiliter plerique alij, tum illorum tum religionis gratia imitabuntur, si ad eos excitandos Beatitudo tua toto pectore, & viribus, cum prestantissimis his patribus animum intederit. Nã

vt omittam, singularem eruditionem & sapiētiam tuā,
vt religionē & integritatem taceam omnibus gentibus
perspectissimā, quæ omnia cum maximè ad permouē-
dos Christianorum animos efficacia sint, tāta in te vno
reperiētur, quanta in reliquis nostrorum temporū sum-
mis Pontificibus, vix fuere, horū venerabilissimorū pa-
trum virtus & grauitas, quorū alij splendore sanguinis,
alij litteratura, alij sanctimonia, omnes authoritate, in-
dustria, & rerum vsu plurimum apud principes & Res-
publicas pollent, magno adiuumento huic rei erit. Qui-
nimò videre iam videor, si hæc prouincia vti decet à Be-
atitudine tua & ab omni Ecclesiastico coetu capiatur,
principes ipsos certatim ad defensionē fidei, ad propug-
nationem almæ omnium parentis Ecclesiæ, sese vltro
oblatturos, & infinitum penè numerum militum, nomē
in Christi militiam daturum. Ad tantam verò rem, non
litteris, non sigillis plumbeis opus est, quibus iam popu-
lorum aures occalluere, sed voce & conspectu tuo, Pater
beatissime, & præsentia optimorum patrū, qui non pro-
uincias exhauriāt, non legationes vt ditiores fiant exop-
tēt, sed nouo cōmento, nouo consilio, nouā & inusitatā
rem aggrediātur, Cognoscat orbis periclitari fidē Chri-
sti Iesu, intelligat sponsam eius dilectissimā, in maximo
esse discrimine. Videat nos nec auri, nec gemmarū, nec
pretiosæ supellectilis auidos, sed ōnibus his & vita ipsa,
maioris fidē & Ecclesiam dei facere. Quod si ita fiet, pro

certo

certo habeat Beatitudo tua, non modo Turcarū bellum
leui momento repressum, sed exiguo quoq; temporis in-
teruallo, Græcum nomen & quicquid insularum in Æ-
geomari est, à nostris recuperatum iri. Nam vt eos quo-
rum maximè interest missos faciam, qui & multi &
opulenti & strenui sunt, his enim nullum beneficium
maius hoc excogitari potest, Cæteros, profectò re ipsa
tam pia, tam sancta permoueri, dubium apud me non
est, partim enim virtus ipsa, & amor Christianæ reli-
gionis accendet, partim verecundia obstricti, negare
opem & auxilium nequaquam poterunt, vt reliquos
taceam, quos tamen omnes virtute & religione pol-
lere, & meminisse se Christi Iesu pretioso sanguine re-
demptos esse non ambigo, Alfonso Lusitanorum
regem, ac principem eius natū, duo tibi cōtra ethnicos
firmissima propugnacula offero, ita ad omniū infideliū
bella paratos, ita in eis exercitos et expertos, vt inter Chri-
stianos oēs nemo iandiu repertus sit, qui eos nō dico vin-
cat aut æquet, sed vix imitetur. Alij ab infidelibus lacef-
siti, dū se suaq; tutātur, haberi tamen honesti & strenui
volunt, plurimi ne ferre quidem barbarorū arma pos-
sunt. Hi verò longe ab omnium infidelium iniuria, po-
siti & quieti, nouum bellum, nouum regnum, nouos
& inusitados triumphos, de barbaris quotidie gerunt,
nanciscuntur, exercent. Omitto breuitatis gratia cōme-
morare, quæ eorū maiores cōtra Mauritanos gesserint,

quo

quo pacto eos tot iam annos Lusitaniæ totius possessioni hæretes, vi & virtute pepulerint. Quonã modo post recuperatum regnum in Africam traiecerint, & expugnata Septa, vrbe omnium Africanarũ clarissima & maxima, Gaditanum fretum occupauerint, nõ hæc dicam, quanquã plena meritorum, plena gloriæ sint, quia pro genitorum ornamenta, nec virtutem nec honestatem, mea quidem sententia minoribus præbent, quinimò sæpe etiam plerisque dedecori & ignominix fuere. Sed ad ea animus properat, quæ Alfonso ipse rex clarissimus sua industria, sua manu gesserit. Primum Alcastar oppidum munitissimum, situm in medio freto, magna classe adortus, paucorum dierum oppugnatione cepit. Postea verò cum expedito equitatu, iterum in Mauritaniã traiciens, quanuis Tingi vrbe antiquissimam, & natura atque operibus munitissimam, quam ex insidijs retauerat capere nequiret, tamen, excursions plerasque in barbarorum agros longè latèque fecit, multosque mortales ferro ignique absumpsit, vastatisque agris & populatis eorum finibus, in Lusitaniã est regressus. Tertio verò in Africam, quadringentarum circiter nauium, maxima & pulcherrima classe traiciens, Arzillam vrbe magnam & opulentam, in ora Oceani Atlantici sitam, in coronam obsessam, tormentisque quassatam vi cepit, comite & socio illustrissimo principe, qui inibi postquam claram victoriam, militaribus sacra-

men-

mentis à patre obstrictus, vir euasit animo & corpore in-
uictus, prudentiaq; insuper & rei militaris peritia, super
ætatem superque humanam fidem insignis. Sed ea vrbe
expugnata, pauore perculsi Mauri, cum ferre obsidio-
nem Tingitanam desperarent, relictis inœnibus sese cū
Mauritaniæ regno, (Abgarbium accolæ vocant) exi-
mio regi dediderunt. Non dicam in præsentia, quot &
quam claras victorias, de truculentis barbaris duces no-
strorum exercituum, septuaginta penè continuis annis
consecuti sunt, quoties exigua manu maximos populos
profligauerunt, quoties non Maurusiorum modo pro-
ceres, sed reges ipsos iusta acie vicerint, non quòd hæc
æterna memoria digna non sint, sed ne ipse per insolentiam
videar familiam meam extollere velle. Nam pri-
mus omnium Comes Petrus mihi paternus auus Sep-
tam, Eduardus pater Alcastar, Henricus frater Arzil-
lam cum imperio tenuit. Ex quibus auus post longum
senium naturæ concessit, pater & frater vti Deo placi-
tum est, post multas & claras de illis gentibus victorias,
viriliter pro fide pugnando oppetiere. Quas tamen vt
dixi commemorare in animo non est, malo enim tot &
tanta Lusitaniæ merita, silentio præterire, quàm dum
aliena repeto modestiæ & pudoris obliuisci mei. Ad
ipsum igitur clarissimum regem redeo, de quo quan-
uis multa & maxima dicantur, plura semper & ma-
iora supererunt. Hic est illæ Africæ domitor, qui si a-

blatis vrbibus & oppidis in freto, & in ipso mare At-
lantico sitis, tam potentes illos Africae reges non coer-
cuisset, longe maior proculdubio clades, illinc à Mau-
ris illata per Gaditanum fretum in Hispanias ingru-
eret, quàm à Turcis in Græcia per Bosphorum Thra-
cium atque Hellespontum Christianus populus pas-
sus est. Mauri enim Numidæ Getulique, & quicquid
gentium intra Atlantem & oram nostri maris contine-
tur, & numero plures sunt, & infestioribus si dici po-
test animis, Christi fidem insectantur, & regem Gra-
natæ sui nominis & sectæ, in Bætica tam expertum
Bello: regnumque illius tam munitum natura ipsa, tot
maritimis vrbibus circumseptum habent, vt si liberum
illis mare & apertum foret, vt antea Africae portus, gra-
uior haud dubiè illa pestis nostris temporibus, quàm
olim Hispaniæ fuerat, extitisset. Quare iure dici beatif-
sime Pater potest, labore & sanguine regum Lusita-
niæ, Christi fidem inibi haberi & coli. Nunc igitur re-
gem hunc, principem, hanc omnem familiam, quanquã
tam graui hoc Africano bello continuè implicitam, Be-
atudo tua inter ceteros Christianos principes: ad hoc mu-
nus contra Turcas humani generis hostes capeffendum,
promptissimam paratissimamq; semper habebit. Quis
erit igitur tam mentis & animi expertus, qui si huiuscemo-
di reges, principes, ac populos, conspirare aduersus Tur-
carum magnum magis quàm stabile imperiũ, videat, non
speret

speret illud, haud magno temporis spatio, funditus euer-
ti posse.

CON-
FVTA
TIO.

¶ Ego enim neminem esse puto tam perditum, tam sui
oblitum, qui si rem geri suo ordine videat, tam iustæ, tã
necessariæ, tam religiosæ huic expeditioni desit: imo ve-
rò, qui nunc in hac Hydruntis oppugnatione, auxilia nõ
præstât, eos, si bellũ hoc totũ, contra immanes barbaros
terra mariq; geratur, & cõcipiatur Christianorũ animis,
Turcarũ imperij vltima euersio, inter præcipuos propug-
natores futurose existimo. Et ita fiet, vt multo plures potẽ-
tioresq; reges ac Respublicas, Beatitudo tua ad recuperã-
dã Græciã armare possit, quàm nunc ad arcendũ Apulia
hostem habeat, dum ad expeditionem illam, maior glo-
riæ & imperij cupiditas, animos omnium inuitabit: ab
hac verò inuidia & similtas aliquorum mentes auertit.
Quod verò ad vim belli attinet, timendũ profectò non
est, Christũ Iesum athletis suis solitas vires negaturũ, qui
nimò firmissimè sperandum, pro fide sua pugnantes, fe-
licioribus etiam auspicijs profecuturum. Sed sit cõmu-
nis vtrisque mars, & ea modò subeunda conditio quam
fortuna dederit, quid per Deum immortalem speras fo-
re Pater beatissime, cum leuem & concursatorem hos-
tem, media acie cataphractorum cohortes excipiant?
Quid si etiam ad robur Italicum, agilis ad ferendum
hostem, Hispanus eques adiiciatur? qui disiectos perfe-
cutus barbaros, stragem in effusos edat, omnia pauore &

cruore

cruore compleat? Quid si Britanni, Germani, Pannonij equites peditesque, loco pedem mouere nescij, cum turba futilium sagittariorum concurrant? Quid tandem si Gallica tormenta muris admoueantur? Siaggeres, vineas, & cuniculos Gallica in obseffos sedulitas agat? Vis mari geratur res, quid putas negotij tot quadriremibus, tot rostratis nauibus, cum lemborum, celocium, & exiguarum biremium multitudine fore? Vis fusas & disiectas, aut varijs locis repertas persequi? hic tibi in primis vsus Lusitanarum nauium erit, nec enim earum meminisse pigeat, cum roboris plus multò Turcarum triremibus habeant, & quouis vento agilitate & celeritate eas longissimè anteueniant. Accedit ad hæc omnia, rei militaris, incredibilis penè nostrorum peritia, & continuus bellorum vsus, qua sola res sæpè exiguæ copix, maximo exercitus fuderunt, & mediocriter fortes ferocissimas gentes exterminauerunt. Dies me deficiet si cōmemorare voluero, quoties egregij imperatores, exigua manu, innumerā barbarorū multitudinem fugauerint, quoties parati & in ordines digesti exercitus, infinitos populos exiguo labore debellauerint. Hoc tantū dixisse sit satis, quod re ipsa & vsu militari compertū est, inconditā & leuiū armatorum turbam, qualis Turcarum maxima pars est, non solum multitudine firmiorem non esse, sed etiam numero ipso debiliorem, & fragiliore fieri, dum primi, vim hostium armatorum, ferre nequeunt, & me-

dijac postremi, non secus à suis fugientibus, quàm ab hostibus ipsis tergo illorum instantibus, fundantur.

CON-
CLV-
SIO.

¶ Quæ cum ita sint Pater beatissime, noli precor hanc tantam occasionē, tibi rei benegerendę in pręsentia oblata, prætermittere. Nā cum cætera omnia felicē huius belli euentū portendant, tum mors ipsa crudelissimi tyranni, & filiorū discordia hoc tēpore oblata, tanquā signū aliquod, ad capiēda arma cœlitus nobis ab immortalī Deo datū, existimari debet. Sequamur igitur optimū ducem Christū Iesum, qui sponsam suam vnicā, tot iam annorū spatio, spurcicijs vilissimorū carnificum fœdatam, in libertatē pristinam restituere, se velle ominatur, & qui ex omni clero eloquētia & authoritate valuerint, ij ad cōmouendos principum, populorūq; animos, à sanctitate tua mittantur. Qui religione & sanctimonia præstant, continuis sacrificijs & orationibus vacēt. Qui thesauros, & pretiosam supellectilē possidēt, liberaliter erogent. Qui usu rerum & bello expertifuerint, labori sese & periculis obijciant. Et qui gladium ex doctrina servatoris non habuerint, vendita illū tunica emant. Quę si à nostri ordinis, & professionis hominib9, Cæsares, reges, & populi, sedulò fieri & ex ordine viderint, iam nō Hydruntē modò expugnatū, quòd propediem futurū spero, sed Gręciam totā recuperatū: & Asiam etiam ipsam, è manu truculentorū barbarorū, breuì vindicatū iri nō dubito. Tu verò Pater beatissime, si tua id cura, & sapiē-

tia fiet, vosq; præstantissimi patres huius quoq; mun-
ris participes, tantū nominis, tantū decoris, tantū glorię,
& quandiu vixeritis, & vita hac functi cōsequemini. Ut
pro corruptibilibus æterni, pro mortuis viui, & tandē, ut
vno perstringam verbo, pro hominibus dii, meritò sem-
per apud omnes gētes, & apud superos ipsos habeamini.

Habita hæc est oratio pridie Kalend. Septembris,
salutis anno M. CCCC. Lxxxj. Pontifica-
tus verò Xisti. iij. anno. xj. & eo-
dem Romæ impressa.

L A V S D E O.

...is nec, vobis; prae illis in partibus huiusmodi; tunc
...participes, tantum nominis, tantum decoris, tantum gloriae
...vixit, & vixit hac functione colendum. Ut
...pro contrariis actum, pro motu sui, & tandem, ut
...vno perstringam verbo, pro nominibus, merito laus
...per apud omnes gentes, & apud imperatores habeamini.

Habita haec est oratio pridie Calend. Septemb.
salutis anno M. CCC. L. xxj. Pontificatus
eius vero X. lvi. iij. anno. xj. & co.
dem Romae impetita.
LAVS DEO.